

ne Pontificis quidem indiget. Hoc confirmatum est a Benedicto XIV. in sua Bulla *Ex quo dilectus*, ann. 1747.: attamen ibi dicit Pontifex, quod Parochus antequam ingrediatur, debet Episcopum certiorare facere; insuper decrevit ibidem parochiam non vacare, nisi post professionem, adeo ut fructus ad eum spectent durante tempore novitiatus. Et idem dicendum de aliis beneficiatis, ut dicunt Suar. Sanch., sed hi non peccant (ut subjungit idem Benedictus ibidem), si suos Episcopos certiorare omitunt, timentes ne ab ipsis de suo proposito revocentur. Cæterum declarat Pontifex, quod sicut potest Prælati regularis subditum suum, qui ad strictiorem Ordinem sit digressus, ita Episcopus potest parochum aut clericum suum repetere a religione, si ex transitu suo prima ecclesia gravem sustineret jacuram, etc. Sed si Ecclesia graviter læderetur, esset revocandus. Priora verba sunt Innoc. IV., posteriora Panormitani, quibus utitur Benedictus in sua Bulla, et postea concludit: *Et sic satis provisum est Episcopo* (1).

CAPUT II.

De statu clericali.

30. Circa clericorum statum quatuor possunt considerari principaliora: Privilegia, munia, officia, et beneficia, quibus eos Ecclesia providet, quo ipsi sustentari possint. De privilegiis agitur *Tr. 20. cap. 2.* ubi de privilegiis ex proposito erit sermo. De numeribus, et officiis in examine Ordinandorum in *appendice 3.* Hic solum agemus de beneficiis ecclesiasticis, quæ clericis conferuntur.

PUNCTUM I.

QUINAM CONFERRI POSSINT ET DEBEANT BENEFICIA.

31. *Quotuplex sit beneficium.*
 32. *Quot modis acquiratur. De jure patronatus.*
 33. *An etiam beneficia simplicia conferenda sint dignioribus.*
 (1) l. 4. n. 74. et 75.

34. *An patroni debeant digniores præsentare.*

35. *An ad prælaturas, etc.*

36. *An sit valida minus digni electio.*

37. *An elector teneatur ad restitutionem.*

38. *An peccet dignus qui concurrat cum digniori.*

39. *An examinatores non denuntiando etc.*

40. et 41. *De pluralitate beneficiorum.*

31. Beneficium ecclesiasticum definitur: *Est jus perpetuum auctoritate Ecclesie constitutum exercendi officium spirituale in aliqua ecclesia, et percipiendi propter ipsum fructus ex bonis ecclesie.* Distinguere oportet beneficia simplicia a duplicibus. Simplicia sunt illa quæ tantum instituta sunt ad Horarum canonicarum recitationem, aut ob altaris servitium, et sunt canonicatus, et capellanie auctoritate Pontificis, aut Episcopi erectæ, et etiam præsimonia, quæ clericis præstantur, ut vacent studio, et hujusmodi. Duplicia sunt illa quæ aliquam jurisdictionem habent, ut episcopatus, et parochiales, et etiam decanatus, præposituræ, archidiaconatus, et hujus generis, quæ aliqua jurisdictione gaudent in eorum; aut aliqua præminentia fulgent, sed sine jurisdictione, v. g. loco distincto in choro residere, aut in processione, ut sunt dignitas primiceriatus, cantoratus, aut sacristæ majoris, et hæc proprio vocabulo appellantur *personatus*; aut denique habent annexum aliquod officium ecclesiasticum, ut thesaurarii, æconomi, custodis, sacristæ minoris: et hi habent aliquam administrationem, sed sine jurisdictione, et sine ulla præminentia (2).

32. Tribus modis acquiritur beneficium; 1. Collatione libera Pontificis aut Episcopi. 2. Electione aut confirmatione Superioris approbantis idoneitatem electi. 3. Præsentatione et institutione, sive electione Superioris, quæ subsequitur, cum beneficium est jurispatronatus. Jus autem

(2) Lib. 4. n. 83. et 84.

patronatus alterum est laicale alterum est ecclesiasticum. Et in hoc scire oportet, quod si patronus laicus non præsentat inter quatuor menses, ecclesiasticus intra sex, collatio devolvitur ad Prælatum, ad quem institutio spectabat, ut habetur ex *c. Quoniam de jure patr. et c. un. §. Verum eod. tit. in 6. (1).* Et notandum quod tempus præfatum currit etiam si orta fuerit lis circa præsentationem; modo lis non vertatur inter patronum et Episcopum, ut dicunt Azor. Salm., etc. ex *cit. c. Quoniam.* Potest tamen Episcopus prorogare præfatum terminum per alios sex menses, sed non amplius, ut notant Barb. Salm. ex *c. 2. de Concess. præb. (2).* Si autem a patrono laico plures præsentati sint, Episcopus potest eligere quem malit, quia utraque præsentatio est valida; si autem a patrono ecclesiastico, debet eligere prius præsentatum, ex *c. Cum authentice, de jure patr.* Sed si plures a diversis patronis fuerint præsentati, tunc si patronatus est ecclesiasticus, Episcopus debet præferre digniorem, ut habetur expresse ex *Trid. sess. 24. cap. 18.* ubi dicitur: *Episcopus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet.* Nomine *patroni* hic intelligitur patronus ecclesiasticus, de quo in hoc loco fit sermo, et intelligitur sive sit unus, sive plures qui haberent jus patronatus. Et sic declarat mentem Concilii Sixti V. et S. C., ut referunt Salmant. (3) cum Garcia Barboza, etc. Si vero patronatus est laicaris, sufficiens erit si præsentatus sit idoneus, ut declarat Concilium ibidem: *Quod si jus patronatus laicorum fuerit, debeat præsentatus examinari, et non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.* Qua de re tunc Episcopus debet eligere eum qui plures voces habet, ut dicunt communiter Less. Busemb. cum Laym. et Salmant.

(1) N. 88. — (2) N. 89. — (3) tract. 28. n. un. n. 291.

I.

cum Sanch (4). Et hoc procedit proculdubio etiam pro beneficiis curatis, de quibus perspicue loquitur concilium in præfato loco, quicquid dicunt Salmant.

33. Sed ad propositum punctum deveniamus, nempe quinam possint et debeant conferri beneficia? Pro resolutione multa dubia discutienda sunt 1. An omnia beneficia sint conferenda dignioribus? Quoad cardinalatus, et episcopatus, certum est quod eligendi sunt digniores, ut constat ex *Trid. Sess. 24. c. 1. de reform.* et ex *prop. 47. ex proscriptis ab Innoc. XI.* Et idem currit pro beneficiis curatis, ut habetur ex eodem Concilio *cit. cap. 1. et cap. 18.* Major autem dignitas accipienda ex majori Ecclesie aut fidelium utilitate; sed ceteris paribus præferri debet qui pietate, aut prudentia præstat doctiori: nobilior, aut potentior: oriundus, senior, pauperior et sacerdos non sacerdoti (5). Quomodo autem habendus sit concursus pro ecclesiarum parochialium collatione; ac de appellationibus ab irracionabili ordinarii judicio admittendis, vel rejiciendis, vide in Bullar. Benedicti XIV tom. 1. Bulla *Cum illud* 68. sub die 14. decemb. 1741. Dubium vertitur circa beneficia simplicia, an peccet Episcopus eligendo minus dignum? Prima sententia Soti Nav. Sanch. etc. quam probabilem putant Salm. Carden. etc. negat eum peccare (nempe graviter, quia communiter non excusant saltem a veniali), dum dicunt quod beneficia principaliter sunt instituta in communitatis utilitatem, unde modicum est damnum cum præfertur, non tamen indignus, sed dignus digniori. Excipiuntur tantum canonicatus, quibus sit etiam annexum officium pœnitentiarii aut instructoris. Hanc sententiam non puto improbabilem, sed existimo certe probabiliorem contrariam, quæ etiam est

(4) Less. l. 2. c. 34. n. 33. et Salm. ib. n. 292. — (5) Lib. 4. n. 91 et 92.

19

communior cum s. Thoma (1) Less. Lugo Castrop. Holzm. Croix Ronc. Viva Salm. etc. Ratio, quia beneficia, ut communiter dicunt dcl., non tantum instituta sunt propter Ecclesie utilitatem, sed etiam (licet minus principaliter) ob meritum remunerationem. Ex quo Episcopus duplici ex capite peccat graviter conferendo ea minus dignis, 1. quia laedit justitiam distributivam, attento jure quod habent digniores, cum Episcopus non est dominus, ut loquitur s. Thomas, sed simplex distributor beneficiorum: 2. ob damnum quod Ecclesie suae infert, dum ubi non preferuntur digniores, pauci curant digniores se reddere, et hoc non est detrimentum parvi momenti in bonum commune (2). Limitant tamen Nav. Sot. Less. Lugo etc. 1. si posthaberetur dignior semel atque iterum ad beneficium simplex, et etiam ad aliquem canonicatum, qui caret jurisdictione, aut functione magni momenti. 2. Si beneficium esset tenue. 3. Si eligeret aliquem de familia fundatoris, ut ait Tourn. cum Sylvio. 4. Si electus brevi renuntiaturus esset beneficio; Holzm. cum Pichler (3).

34. Quæritur 2. an patroni etiam teneantur præsentare digniorem? Quoad beneficia curata, certum est patronos ecclesiasticos, et patronos episcopatum (qui sunt reges) ad hoc teneri, ut declaravit Trident. Sess. 24. cap. 1. de ref. At idem proculdubio tenendum cum Lugo Sanchez Croix Viva Ronc. Salm. etc. quoad omnia beneficia curata, dum in cit. cap. 1. Concilium dicit quod quicumque patronus tenetur præsentare ad curas animarum digniores. Et hoc confirmatur ex eadem prop. 47. Innoc. XI. quæ loquebatur de quocumque beneficio curato. Si autem beneficium fuerit simplex, ut diximus, probabilius est Episcopus teneri ad eligendum digniorem;

(1) 2. 2. qu. 63. a. 2. ad 4. — (2) L. 4. p. 93. — (3) N. 96.

ita dicimus de patronis qui eos præsentare debent. Excipit Lugo tantum eos qui conferunt capellanias contra Azor. Mol. Vasq. qui hoc permittunt solum fundatoribus (4). Quæritur 3. an etiam renuntiationes debeant fieri dignioribus? Hic adsunt multæ sententiæ diversæ, quæ in opere observari possunt (5); sed maxime æqua mihi videtur illa Card. de Lugo, qui dicit hic rationem culpæ dimittendam esse a damno, quod ex tali renuntiatione Ecclesie obveniret. Unde postea concludit quod raro licitæ sunt renuntiationes beneficiorum curatorum, et præcipue episcopatum quia istæ ut plurimum fiunt sub onere pensionis, ideoque non fiunt cum diligenti meritum inquisitione (6).

35. Quæritur 4. an peccent graviter Religiosi qui eligunt minus dignos ad prælaturas? Negant aliqui pauci; sed communissime et rectissime affirmant Lugo, Viva, Croix Ronc. Salm. etc. quia Prælati æque ac Episcopi debent prospicere bono communitatis; et minus digni faciliter evadunt indigni, quia minori diligentia incumbunt ad sartam tectam servandam observantiam (7).

36. Quæritur 5. an electio minus digni sit valida, cum beneficium est curatum? Negant Sanch. Castropal. Salm. etc.; sed probabilius affirmant Lugo Fill. Vasq. Holzman Anacl. Croix etc. Et probatur ex Bulla s. Pii V. ubi licet concedatur appellatio digniori, ibi tamen declaratur quod appellatio non impedit quominus executioni mandetur electio minus digni; valida igitur habetur. Nec obstat id quod dicitur in Trid. (Sess. 24. c. 18. de ref.): *Provisiones omnes præter supradictas formas factas subreptitiæ censeantur*. Nam per formas non intelligitur electio, ut adversarii autumant, sed proprie intelligitur ritus præscriptus qui tenendus est in collatione curarum, nimi-

(4) N. 97. — (5) Lib. 4. n. 98. — (6) N. 99. — (7) N. 100. et 101.

rum, ut intercedant edictum, concursus et examen (1).

37. Quæritur 6. an eligens ad beneficium minus dignum teneatur ad restitutionem? Etiam de beneficio simplici, quod sine concursu providetur, affirmant Silv. Cajet. Bann. Salm. et alii: quorum alii dicunt restitutionem faciendam esse digniori; alii dicunt faciendam etiam Ecclesie. Sed communius Canus, Nav. Tol. Less. Sanchez Lugo Castrop. Croix, eum excusant restitutione faciendam tam digniori, qui nullum jus rigorosum habet super beneficiis, quæ principaliter fuerunt instituta ob bonum publicum; et minus principaliter in præmium meritum, quam Ecclesie quæ non intendit obligare electores, nisi ad non eligendos indignos, (in quo casu utique tenerentur restituere Ecclesie damnum). Et hanc sententiam puto probabilior, juxta id quod dictum fuit *Tract. 1. n. 20. et Tr. 10. n. 73.* ubi dictum fuit possessorem bonæ fidei non teneri ad restitutionem, quoties non est certus sui debiti (2). Ideoque ad nihil pariter tenetur qui Episcopus sine fraude advocat a conferendo beneficium digniori; ut diximus *Tract. 10. n. 63.* (3). Sed majus dubium vertitur an, cum beneficium providetur per concursum, eligens minus dignum teneatur compensare digniori damnum? Communissima est sententia affirmativa cum Sanch. Tourn. Less. Lugo Castrop. Holzm. Croix etc., quia dignior ob concursum acquirit verum jus in beneficium, ratione pacti quod tunc intercedit inter electorem et concurrentes, quod pactum (ut dicunt) sufficienter explicatur in edicto. Hoc non obstante etiam excusant electorem non jam a peccato, sed a restitutione, Sot. Nav. Ledesma. Henric. et alii, dicentes quod pactum quod supponitur non est rigorosum, ita ut obliget sub justitia commutativa, sed potius declaratio obligationis quæ

(1) N. 103. — (2) N. 106. et 107. — (3) N. 108.

Episcopo inest juxta justitiam distributivam (preferendi nempe digniorem), quæ non obligat ad restitutionem. Hanc secundam sententiam mihi animus non est uti probabilem probare, sed nec ut improbabilem audeo damnare, et si revera non constaret de hujusmodi pacto, non esset certa obligatio restituendi. Cæterum iidem dd. contrarii, uti Sanch. Lugo Ronc. et Garcia excusant ab omni restitutione, si excessus dignitatis esset modicus (4).

38. Quæritur 7. an peccet dignus concurrente cum aliis, quos se digniores putat? Negant Less. Sot. Azor. Cajet. Vasq. Salm. etc., et quidem probabiliter, nam talis videtur esse Ecclesie mens, ut omnes digni concurrant, alioquin si dignioribus dumtaxat esset licitum concurrere, pauci concurrerent et forte iidem digniores scrupulo percussi, abstergerent a concursu, quod quidem in Ecclesie detrimentum redundaret. Contra affirmant Sanch. Castr. Navarr. Lugo etc. semper ac dignus pro comperto haberet alium esse se digniorem, quia si unquam electus esset, jam esset causa talis injustæ electionis. Speculative loquendo hæc secunda sententia videtur probabilior; sed in praxi videtur locum non posse habere, quia in nullo casu dignus potest esse certus quod Episcopus non habeat aliquam rationem, sibi latentem, excludendi illum quem ipse putat digniorem (5). Sed hic illud dubium se offert, an hic dignus, si certo cognoscat alium esse digniorem, peccet si acceptet beneficium, et teneatur ad restitutionem damni? Affirmant Nav. et Castrop.; sed Sot. Sanch. Turr. Salmant., etc. probabilius dicunt nec peccare, nec teneri ad restitutionem. Non peccat, quia acceptando beneficium; non jam cooperatur injustæ electioni, ut supponunt adversarii, dum Episcopus, cum jam illud ei contulerit, jam suum peccatum consummavit: quare per

(4) Lib. 4. n. 109. — (5) N. 110.

accidens habetur, quod postea acceptum vel non. Nec tenetur ad restitutionem, quia, collato beneficio in minus dignum, collatio est valida (ut ostensum est n. 36.); unde beneficium non amplius sistit inter bona communia, ideo dignior nullum amplius jus habet. Et hujus sententiæ est etiam s. Thomas (1) qui loquendo de episcopatibus, dicit quod elector tenetur præferre meliorem; sed loquendo postea de electo sic ait: *Non autem requiritur ut reputet se aliis meliorem, sed sufficit quod nihil in se inveniatur per quod illicitum ei reddatur assumere prælationis officium.* Tanto magis quod nemo, ut paulo ante diximus, potest certus esse injustam fuisse ejus electionem (2).

39. Quæritur 8. an peccent examinatores, non deferendo ad Episcopum quis sit inter examinatos dignior? Negant Lugo Castrop. Croix etc. dicendo illos satisfacere, si tantum deferant Episcopo quos idoneos probant, dum Episcopi munus erit declarare quis eorum sit dignior. Sed probabilius et communius affirmant Azor. Nav. Ronc. Diana Salm. etc. quia licet iudicium ad solum Episcopum spectet, attamen hac propterea de causa Concilium statuit concursum, et examinatores, ut ipsi digniorem proponant, ut ita possit Episcopus melius judicare, et eligere (3). Examinatores autem debent jurare fungendi fideliter officiis suis, ut præcipit Trident. Sess. 24. c. 18. de re-form; secus concursus est nullus ex Decr. s. Congr. Conc. 2 decemb. 1628.

40. Quæritur 9. an possint unquam conferri plura beneficia uni personæ? Sed hic prius distinguenda sunt beneficia compatible ab incompatible. Compatible sunt omnia simplicia quæ residentia non indigent. Incompatible autem alia sunt primi, alia secundi generis. Primi generis sunt omnia beneficia duplicia

(1) 2. 2. q. 185. a. 3. — (2) Vide hæc, et alia l. 4. cit. n. 110. v. dub. 2. — (3) N. 444.

quæ hic n. 31. adnotata reperiuntur; nempe primo omnia beneficia curata, et ea quæ sunt uniformia sub eodem tecto, ea nimirum quæ eodem loco, et tempore in iisdem functionibus conveniunt: item omnes dignitates, personatus, et officia ecclesiastica quæ ibidem adnotavimus. Incompatible vero secundi generis sunt canonicatus, et cætera beneficia residentiam exigentia. Sed hic ætequam ad punctum attingamus, advertere oportet quod si quis duo beneficia incompatible recipit, accepto secundo, ipso jure vacat primum, et si ipse præsumat sibi retinere utrumque, ipso facto privatur utroque, ut constat ex Trident. Sess. 7. c. 4. et Sess. 24. c. 17. de ref. Hoc est certum de beneficiis incompatible primis generis: dubitatur an idem valeat pro aliis secundi generis? Affirmant Contin. Tourn. Spor. et Salm. (4) cum Azor. Gonzal. Fagn. etc.; et probant ex eodem Trident. locis citatis, et ex quadam declarat. S. C. et idem dicunt Salmant. cum aliis etiam de beneficiis simplicibus, licet residentiam non requirant (5). Nihilominus Laym. Busemb. et alii apud Salm. hoc negant cum Navar. qui dicit non constare de hac declaratione; et ad Tridentinum respondent: Concilium in posteriore loco, ubi tantum disserit de vacatione, loquitur de beneficiis curatis, non vero de aliis (6). Sed, ut dicunt iidem Salm. et Abelly, Papa potest dispensare, et dumtaxat in casu evidentis necessitatis, aut utilitatis, secus (ut tenent Bell. Panormit. Tol. Salm.) qui plura hujus generis beneficia reciperet, etiam ex Pontificis dispensatione, tutus non esset in conscientia (7).

41. Cæterum beneficiorum etiam simplicium pluralitas certe Canonibus adversatur, modo primum beneficium congruæ sustentationi sufficiat, ut de-

(4) Tract. 28. de benefic. n. 664. — (5) V. op. nostrum l. 4. n. 118. v. quær. — (6) N. 446. v. notandum. — (7) Ib. v. præterea.

claravit Trid. sess. 24. c. 17. de ref. ubi sic habetur: *Statuit, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.* Sed majus restat dubium, an pluralitas etiam simplicium sit vetita non tantum jure canonico, sed etiam divino. Alii absolute id negant, ut Innoc. Lugo Filiuc. Valent. etc.; alii absolute id affirmant, ut Panormit. et Continuator Tourn. cum aliis, et præcipue cum Bellarm. qui tenet Papam sine causa urgentissima dispensare non posse: et hoc tum quia non potest unus duabus ecclesiis deservire, tum quia hæc præsumitur fuisse voluntas fundatorum, ne quis nisi de una ecclesia curam habeat. Sed sententia communis et tenenda cum s. Thom. (1), quem sequuntur Azor. Less. Laym. Abel. Holzm. Salm. etc. dicit pluralitatem beneficiorum utique esse illicitam, etiam jure naturali, ita ut ne Papæ quidem dispensatione possint licite retineri, cum unum satis est ad sustentationem. Et non tantum ob primam rationem allatam, quam ob secundam; tum etiam quia perturbaretur ecclesiasticus ordo propter tot rerum confusiones a Joanne 22. in extrav. *Execrabilis de præb.* adnotatas, nimirum quod, admissa hac pluralitate, aliqui superfluis redundarent, et alii forsitan digniores mendicare cogentur; item quod, cum ecclesiæ non haberent rectorem peculiarem, facile illæ debito obsequio defraudarentur: item quod qui plura beneficia, nequit invigilare ad defendenda jura uniuscujusque ecclesiæ: item quia reddituum copia cupiditas et luxus foventur. Nihilominus dicimus cum eadem sententia, quod hoc non est ita illicitum, ut Papa ex justis causis nequeat dispensare (2). Hæc autem causæ sunt, 1. necessitas,

(1) Quodlib. 9. a. 45. — (2) L. 4. n. 117.

nempe, ut docet s. Thomas (3), si sit necessitas in pluribus ecclesiis ejus obsequio. 2. Utilitas, si beneficiatus melius potest ipse solus, licet absens, sua auctoritate, doctrina, et prudentia, quam alius præsens prodesse, ut ait idem Doctor angelicus loco citato: *Ipse possit plus deservire ecclesiæ, et tantummodo absens, quam alius præsens.* 3. Meritorum prærogativa, eorum nempe qui pro sunt ecclesiæ sua doctrina, instructione, aut scriptione, cum dicatur in cap. *De multa*, § *fin. de præbend.* *Nullus plures dignitates aut personatus habere præsumat; circa sublimes tamen, et literatas personas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ etc.*

PUNCTUM II

DE QUALITATE ET OBLIGATIONE BENEFICIATORUM, ET QUOT MODIS BENEFICIA AMITTUNTUR.

42. Qualitates beneficiorum. De intentione intra annum suscipiendi Ordines, etc.
43. Qui recipit parochiam cum animo dubio, aut conditionato.
44. Qui recipit beneficium cum animo illud relinquendi.
45. Munia beneficiati. Quoad fructus, etc. An de illis vivere possit.
46. Quibus debet erogare superflua.
47. An loci pauperibus.
48. An parentibus.
49. An pensionarii teneantur erogare superflua.
50. De residentia canonicorum.
51. Pœnæ non residentium.
52. Causæ excusantes, et I. Infirmittatis.
53. II. Necessitatis.
54. An excommunicatus, etc.
55. An irregularis, etc.
56. III. Utilitatis. De eo qui assistit, etc. De penitentiario, et theologo.
57. De examinatore, visitatore, etc.
58. Quot modis amittuntur beneficia; præcipue renuntiatione, et per juram, et præcise si intercedit simonia.
59. De pensionibus.
60. Quæ artes, et officia sunt clericis interdicta.

(3) Quodlib. 9. art. 15.

61. *De bonorum ecclesiasticorum alienatione.*

62. *De solemnitatibus requisitis.*

42. Primo loco de qualitatibus loquendo, beneficiatus debet esse clericus, saltem tonsuratus. Item non debet esse illegitimus (cum quo tamen potest Episcopus dispensare ad Ordines minores, et ad beneficium simplex). Item quod non sit irregularis non facinorosus nec excommunicatus. Item habeat scientiam competentem, et ætatem legitimam, nempe ab beneficium simplex 14. annorum (et sufficit inceptorum juxta communem cum decl. S. C. apud Fagn. tom. 3. in 1. part. 3. *Decretal. de Præbend. Cap. Super inordinata, n. 15.*); ab illud autem quod requirit Ordinem subdiaconatus, annum 21. inceptum; pro eo quod requirit diaconatum, annum 22; quod requirit sacerdotum habeat annos 24. pro beneficio curato habeat annos 25. inceptos, ut habetur ex c. *Licet de Elect. in 6.* Pro episcopatu denique requiritur ætas 30. annorum completorum. ex c. *Cum in cunctis, n. 16 et seqq. eodem tit.* Adnotandum hic insuper quod in ecclesiis cathedralibus pro dignitatibus quæ sacerdotium non requirunt, exposcitur ætas 22. annorum inceptorum: sed hoc non requiritur pro collegiatis, juxta *Declarat. S. C. apud Fagnan. in cit. cap. de elect. n. 34. et seqq.* Hi beneficiati tenentur intra annum suscipere Ordinem sacrum; et si una tantum hora desideraretur, beneficiatus illud retinere non posset, modo in bona fide illud non præscripsisset per triennium, ut dicunt Less. et Busemb. (1). Qui ergo beneficium cui annexus est sacer Ordo suscipit, intentionem tenetur habere se promovere faciendi intra annum. Et si beneficium est curatum, qui animus non habet sacerdotio initiandi, non tantum graviter peccat, ut certum est, sed etiam *ipso jure* beneficium privatus existit, adeo ut teneatur

(1) Lib. 4. n. 412.

restituere omnes fructus perceptos, excepto si intra annum ab hac voluntate discederet, ut recte dicunt Less. Nav. Sanch. et Salm. (contra Sotum et Tolm.) et ut clare habetur ex cap. *Commissa de elect. in 6.* cum ibi dicatur: *Nisi, voluntate mutata, promotus fuerit etc.* Potest tamen Episcopus ad septennium dispensare, ut beneficiatus studiis vacet, substituendo interim beneficio vicarium (2). Sed hoc debet intelligi (ut ait Laym.) non posse hujusmodi dispensationem concedi sine gravi necessitate, aut magna utilitate Ecclesiæ, ut apparet ex cap. *cum ex eo de elect. in 6.*

43. Hic dubitatur 1. an graviter peccet, aut teneatur ad restitutionem fructuum, qui animo accipiti, aut conditionato sacerdotio initiandi, recipit beneficium curatum? Tres adsumunt sententiæ. Alii absolute negant; alii affirmant, si animus est dubius, negant vero si sit conditionatus; ita Less. Sanch. Salm. etc., quia animus conditionatus (ut dicunt) est verus animus. Sed nos affirmamus cum Sot. Azor. et Conc., sive animus sit dubius, sive conditionatus quia semper ac deest animus sacerdotio initiandi, semper adest fraus, ratione cujus textus citatus cap. *Commissa*, obligat ad fructuum restitutionem, cum ibi dicatur: *Teneris ad restitutionem fructuum, cum eos receperis fraudulenter.* Cæterum hoc non impedit quominus beneficiatus, accepto beneficio animo absoluto, deinde mutata intentione, possit illud abdicare (3).

44. Dubitatur 2. an qui recipit beneficium simplex, graviter peccet, si illud acceptet animo illud postea deponendi? Certum est (ut supra innuimus) graviter peccare, si beneficio annexus est sacer ordo, et ipsi deesset animus initiandi; ita communiter Castrop. Sanch. Salm. Busemb., etc. Sed dubium restat an, cum beneficio non est annexus ordo, peccet qui illud recipit cum inten-

(2) N. 413. — (3) Lib. 4. n. 414.

tionem illud renuntiandi, et deinde uxorem ducendi? Affirmant Tolet. Less. et Salm. putantes hoc gravem ordinationis naturalis et divinæ continere perturbationem. Alii contra, ut Castropal et Garcia, eum excusant ab omni culpa. Sed alii communius, ut Sanch. Nav. Laym. Vasq. et Busemb., dicunt peccare tantum venialiter, non agnoscentes in hoc tam gravem perturbationem, ut pertingat ad mortale, saltem ob s. Antonin. documentum ex s. Thoma excerptum, nempe tunc, tamquam grave damnandum, nisi evidens ratio id suadeat (1). Verba s. Antonini allata sunt *Tr. n. 66.*

45. Loquendo secundo loco de beneficiatorum muneribus, hæc sunt plura. Tenentur illi deferre habitum, et tonsuram, recitare Horas canonicas et restituere fructus, si illas omittunt. Sed de his in examine Ordinandorum in 3. *appendice ex num. 49. ad 84.* Restant tantum hic discutiendæ et obligatio bene administrandi fructus beneficiorum, et obligatio residendi. Et quoad administrationem fructuum, notandum 1. certum esse (quicquid dicant aliqui aa. qui videntur potius rigore oblectari, quam ratione) beneficium tuto posse ex illis vivere, licet bonis propriis provisus esset; ita communiter Fagnan. Habert Petrocor. Anacl. Holzm. et alii cum s. Thoma (2); cum æquum sit ut qui altari servit, ex altari vivat. *Quis miratur* (ait apostolus) *suis stipendiis unquam?* (1. Cor. 9. 7.). Sed excipiendus cum Angelico casus in quo adesset aliquis pauper in gravi necessitate, aut captivus apud barbaros, quia tunc beneficiatus, cum jam habeat superfluum statui suo, tenetur ei subvenire (3). Cæterum excepto hoc casu si clericus viveret propriis redditibus, bene potest sibi abdicare ex bonis beneficii, et pro libitu suo insumere

(1) N. 413. quær. hic 1. — (2) 2. 2. quær. 1. a. 7. ad 3. — (3) Vide 1. 3. n. 491. quær. 5.

quantum ad suos usus impendit, ut dicunt Less. Anacl. et alii (4).

46. Notandum 2. quod si fructus beneficii supersunt clerici sustentationi, etiam certum est quod ille teneatur eos pauperibus erogare, aut alii pio usui applicare, ut communiter admittunt dd., duma Tridentino nihil aliud præcipitur, nisi ne illos dilapidet, sed ut in pia opera applicent. Sed in hoc etiam excipiendus est cum Lugo et Lessio casus, si adesset pauperes in gravi necessitate constituti: quorum pauperum, ait p. Viva, teneri Episcopos et parochos notitiam exquirere (5). At cum desint hujusmodi pauperes, ait Holzm. cum s. Thoma (6) et aliis, posse beneficiatum reservare fructus perceptos pro Ecclesiæ aut pauperum necessitatibus futuris (7).

47. Notandum 3. non teneri præferre loci pauperes, ut dicunt dd. communiter, dum Canones disponunt pro pauperibus in generali. Licet tamen Salm. et Holzm. si in loco adessent pauperes in extrema, aut gravi necessitate; sed hæc limitatio communius negatur a Molina Azor. et Bon. cum Nav., dommodo (intelligendum) fructus distribuuntur aliis pauperibus æque indigentibus; et dommodo non constet aliam fuisse fundatorum voluntatem; et addit Molina, dummodo aliud non postulet bonum commune diocesis, v. g. si prospiciendum esset alienius collegii educandorum paupertati (8).

48. Notandum 4. sub nomine pauperum comprehendi etiam conjuculos, si vere ipsi egentes ita sint, ut juxta status sui conditionem vivere nequeant, quod expressum habetur in Trident. *Sess. 25. cap. 1. de ref.* Et hoc valet etiamsi adsint pauperes egentiores, ut dicunt communiter Tolet. Molina et Viva (contra Laym.), quia propinquorum sustentatio ad proprium statum pertinet bene-

(4) Ibid. quær. 1. — (5) Vide 1. 3. n. 494. quær. 1. — (6) 2. 2. q. 485 a. 7. ad 4. — (7) L. 3. n. 494. quær. 4. — (8) Ib. quær. 3.